

Karl Gottlieb Camenz

**De Dono Lingvarvm Et Eloqventiae, Cvm Primis Ecclesiae Christi Doctoribvs, Commvnicato, Inprimis Contra P. Lamivm Commentatio, In Qva Viro ... Iohanni Ioachimo Gottlob Am Ende, S. S. Theologiae Doctori ... De Svmmi Honoribvs, In Senatv Dresdensi Ecclesiastico Svpremo, Et In Eivs Dioeceseos Ecclesiis, Svbevndis, Pia Mente Gratulatvr**

Fridericostadii: Litteris Viduæ Harpeterianæ, [1749?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862445140>

Druck Freier  Zugang







39

Fa-1092 (39.)





21.22.

2.

33

34

35

39

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.

20.

21.

22.





M  
T  
  
M.  
1783



DE  
DONO LINGVARVM ET ELOQVENTIAE,  
CVM PRIMIS ECCLESIAE CHRISTI DOCTORIBVS,  
COMMVNICATO,  
INPRIMIS  
CONTRA P. LAMIVM  
COMMENTATIO, *ad A. A. h.*  
IN QVA  
VIR O  
MAGNIFICO, SVMME VENERABILI,  
EXCELLENTISSIMO,  
DOMINO  
IOHANNI IOACHIMO GOTT-  
LOB AM ENDE,  
S. S. THEOLOGIAE DOCTORI REVERENDISSIMO,  
DE SVMMIS HONORIBVS,  
IN SENATV DRESDENSI ECCLESIASTICO  
SVPREMO,  
ET  
IN EIVS DIOECESEOS ECCLESIIIS,  
SVBEVNDIS,  
PIA MENTE GRATULATVR,  
M. CAROLVS GOTTLIEB CAMENZ,  
R. M. CAND.

FRIDERICOSTADII, LITTERIS VIDUÆ HARPETERIANÆ.



DOMO INNOVATIONE ET CONSTITUTIONE  
CUM PRIME FACILITATE CUM II DOCTORIBUS  
COMMUNICATO

CONTRA R. LAMIVM  
COMPLETIO  
IN QVA  
VIR O

MAGNIFICENTIA ET VENERABILITATE  
EXCERPTISSIMO  
DOMINO  
IOHANNI IOACHIMO GOTT-  
LOB AM ENDE


IN SENATU BRADENSI ECCLESIASTICO  
SUFFRAGANO

ET  
IN FIVE DIOCESEOS ECCLESIAS  
SUFFRAGANDIS

PER MENTE GRATAVITATE  
M. CAROLVS GOTTLEB. CAMENZ  
R. M. CAND.

FRIDERICOSTADII, LITTERIS VINDOB. HARETERIANAE





VIR MAGNIFICE,

Summe Venerabilis, Doctissime,

Fautor æternum colende.

**S**ionis moenia per tot discrimina rerum, et  
varios tristissimos casus, inprimis apud nos  
vehementer esse discussa, hæcenus doluimus.  
Sublati sunt, proh dolor! ex eorum medio,  
post aliquot annos, maximi viri, et literarum sancti-  
orum doctores vigilantissimi, et purioris doctrinae de-  
fensores celeberrimi, tanquam fulcra Ecclesiarum  
Saxonicarum tutissima. Cadebat ante tres annos,  
magnus Theologiae Doctor, qui per longum temporis  
spatium sacris Saxonis multa cum utilitate magna-

A 2

que

35

34

37

37

30.

29

28.

27

26

25

24

23

16.

8.

7



) o (

que gloria praefuerat, nempe doctissimus ille Marpergerus. Tota nostra urbs, imo uniuersa regio, quam incolunt verae et purioris doctrinae sectatores, non celantes, quantum ex morte eius vulnus accepissent, suauissimum quidem solatium percipiebant, cum tantum eruditionis et pietatis lumen, cuius splendor et imago verbis a me non exprimi possunt, in ipsorum medio resplendere viderent, quantum in MARPERGERO amississent.

Sed non multo post, nouum illis infligebatur vulnus. Multis enim cum lacrumis ipsis erat lugendus, de nostra ecclesia longe meritissimi et immortalis LOESCHERI, ex hac vita discessus.

Post id tempus, nullibi terrarum, nisi in Dei auxilio, et prouidentia, dolorum perpefforum lenimen quaerendum esse arbitrabantur. Eum, tanquam optimum Ecclesiae Euangelicae Rectorem pia mente supplicabant, vt verae doctrinae, quam Seruator optimus per diuum Lutherum instaurauit, et ab omnibus falsis dogmatibus defendit, doctorem subtilem et propagatorem maxime strenuum, quo LOESCHERO  
per






*per dimidium seculi vsi erant, acciperent. Et ille talem quoque precibus ipsorum ardentissimis largitus est.*

*Hinc iubilat! hinc triumphat Dei populus! iam ex ore TVO suauissimo oracula et dogmata Dei percipere maximopere desiderans. Per totum orbem TVAE pereximiae eruditionis disseminata sunt specimina. Nota sunt TVA in re literaria facta clarissima. Quis? qui TE TVA que, de literis humanioribus aequae, ac sanctioribus, merita nouit, quis vero est, ad cuius aures fama de notitia harum rerum TVA non peruenit? Quis, inquam, ad coelum usque non attollit istos TVI ingenii uberrimos fructus, in quibus, et tot linguarum, et tot elegantiorum artium scientiam demonstraisti amplissimam? Quantus est auditorum numerus, quos doctrina purissima, et vita integerrima a tramite impietatis et <sup>omnis</sup> in viam religionis et fidei revocatos, ad regna coelestia capeffenda, fecisti idoneos? Nonne omnes, qui disciplinis sacris a TE sunt eruditi, nisi cum lacrumis acerbissimis, TE ex urbe sua abeuntem videbant? TE ab illis Dresdani proficiscente, reminiscebantur omnium bonorum, quae*






*per verbum Dei, a TE nuntiatum, ad ipsos haëtenus  
peruenerant. Omnia simul in memoriam revocabant,  
quae iam ab ipsis, per discessum TVVM auferrisentie-  
bant, et non amplius recuperatum iri praeuidebant,  
considerantes, valde exiguam esse piorum et doctorum  
Theologorum copiam. Haud enim ignorabant, No-  
men TVVM, in totius Saxoniae orbe pervagatum, pro-  
pter TVAE eruditionis facta, celebrari.*

*Laetamur igitur, talem nostris Ecclesiis prae-  
positum esse virum, quem omnibus magni Theologi  
attributis praeditum esse videmus, quem, et in vita et  
doctrina imitandi, nobis maximam ducimus laudem.  
In TE enim, VIR MAGNIFICE, intuemur veram ma-  
gni Doctoris indolem et expressam imaginem, qua et  
Apostoli, ac primi Ecclesiae Apostolicae doctores in-  
clarauerunt. Rerum diuinarum cognitio, facultas  
animos hominum de dogmatibus codicis sacri persua-  
dendi, eosque ad omnium virtutum amorem et exer-  
citium permouendi, morum integritas, atque inno-  
centia, sunt istae summae, ac prorsus diuinae vir-  
tutes, quibus isti verae religionis autores et propaga-  
tores fuerunt exornati.*

*Has*





*Has quoque virtutes in TE admiramur, has quoque laudes TIBI omnino diuinitus attributas esse, intelligimus. TE veneramur, vt nouum, et e morte quasi reuocatum LOESCHERVM: eadem enim autoritate, eademque rerum diuinarum et humanarum cognitione exornatus videris, qua ille inclaruit. In TE Melanchthonem revixisse sentimus. Non solum enim es sincerus elegantiorum artium amicus, sed et ipse earum studiosissimus, ac peritissimus. Omnibus, qui in Rhetoricae sacrae historia sunt paullulum versati, persuasum est, Chrysostrum summum in re sacra fuisse oratorem: et TE cum celeberrimo quondam illo Rhetore comparare, nulli dubitamus. Quis enim ignorat, os TVVM tanta stili elegantia et tanta sermonis grauitate esse comtum, qua et pertinacissimos hominum animos de diuinorum oraculorum veritate persuadere, et durissimam eorum ceruicem ad amorem et studium diuinarum virtutum flectere possis?*

Omnis






Omnis spes, VIR MAGNIFICE, mihi in TE et  
TVA humanitate et benevolentia consistit, fore, ne  
hunc meum applausum in malam partem interprete-  
ris. Equidem fateor, meam laudationem non esse TVIS,  
de re sacra et literaria meritis, parem. TVA enim  
in doctrinis Theologicis intelligentia, TVA in rebus  
criticis subtilitas, TVA in concione populi loquendi  
perspicuitas, et suauitas, TVVS, animos improbo-  
rum, permouendi et percellendi, diuinus ardor, TVA,  
postremo, comitas et dexteritas, mentes pias pecca-  
torum foeditatem dolentes, consolandi et permulcen-  
di, sunt tantae magnitudinis, ut omnes superent ar-  
tes, quae ad magnum literarum sacrarum praecepto-  
rem, praesidem et defensorem extollendum adhiberi  
solent.

Quorsum vero tantae verborum ambages? Quan-  
tae arrogantiae accusarer, si in laudes TVORVM me-  
ritorum panegyri scribere conarer, VIR ILLVSTRIS-  
SIME,





SIME, ad quam efficiendam Ciceronis requireretur eloquentia? Id opus ingenii eminentioribus, quae huic aptiora videntur, relinquendum arbitror. Meum officium est, quod mihi obsequium, et veneratio, quam TIBI debeo, praecipit, TIBI de novis iisque summis honoribus, quibus TE dignum iam diu reddidisti, gratulandi, Deumque optimum precandi, ut TE ad istos subeundos, viribus et corporis et animi adeo exornet, ut ad gloriosi DEI nomen magnificandum, quemadmodum haecenus multa cum gloria fecisti, et in posterum doctrinam coelestem populo eius praedicare, pietatem et religionem, a Iesu Christo Domino nostro praeceptam, propagare, et multos, nisi omnes, a pernicie aeterna liberare, et in regnum gloriosi DEI ducere possis. Caeterum, ad obsequium meum TIBI testificandum, tradens commentatiunculam, de dono linguarum et eloquentiae cum Apostolis per DEUM communicato, exarata, Tuo amori et Tuo patrocinio gravissimo, me et

B

mea





*mea literarum studia qualiacunque, submissa mente commendo, meque benevolentia ac praesidio Tuo in posterum non indignum iudices, vehementer etiam atque etiam rogo.*

**TVI NOMINIS MAGNIFICI**

Scribebam Dresdae

A. D. XIX. Calend. Januar.

clō ICCCXLIX.


cultor addictissimus

M. Carolus Gottlieb Camenz,

R. M. Cand.

§. I.





§. I.

**D**ogmatum sacrorum cognitionem, et facultatem, de eorum veritate quemlibet persuadendi, praecipua veri Theologi attributa esse, ex sacro codice, sole quid clarius est? Paulus nominat se, Tit. I. I. seruum Dei, Apostolum vero Iesu Christi, ad fidem electorum Dei, et cognitionem veritatis, quae ad pietatem ducit. Quare? Theologus proponit res sacras, explicat dogmata diuina, et permouet hominum animos ad pietatis studium. Opus igitur habet harum rerum cognitione. Hoc placitum tam videtur clarum, vt nulla indigeat probatione.

Veri Theologi attributa praecipua.



Eloquen-  
tia ipsi ne-  
cessaria.

Saepissime tamen quaesitum est, an Theolo-  
go eloquentia sit necessaria? Multi, etiam nostro  
tempore, fuerunt, qui hoc in dubium vocabant,  
et omnem Rhetoricam e concione populi emitte-  
bant: fuerunt et alii, qui eam ab oratoribus sacris  
separandam non esse statuebant. Verum enim  
vero, cum eloquentia sit facultas, quemlibet de  
dogmatum diuinorum veritate certissime persua-  
dendi; et ipsa Christianorum fides de rebus sacris  
certissima persuasio: sequitur, hanc persuadendi  
artem postulari quoque ab oratoribus sacris. Ipse  
Seruator dicitur docuisse, sicut potestatem habue-  
rit, et potens fuisse in opere, et sermone, adeo,  
vt etiam populus percussus sit super eius doctrinam.  
Matth. VII. 28. 29. Luc. XXIV. 19. Apostolos ex  
oratorum numero, non prorsus excludendos, et  
diuina quadam eloquentia vsos esse, eorum acta  
fatis testantur. Et illorum libris vim quandam di-  
uinam inesse, quis neget? Praeterea, cum etiam  
die Pentecostes omnibus Spiritus sancti donis, ex-  
orna-





ornatos esse certum sit, procul dubio etiam vim  
quandam eloquentiae singularem acceperunt.


## §. III.

Id quod ut luculentius appareat, locum ex Instituti  
ratio enar-  
ratur. cap. II. Act. v. 3. afferamus, ex quo dona haec ipsis  
attributa esse discimus, de quo, prout instituti no-  
stri ratio postulat, commentemur. Equidem scio,  
eruditos de hoc loco saepe disputasse, et varias de  
illo protulisse interpretationes: arbitror autem ea-  
rum plerasque parum subtiles esse. Primo potio-  
res aliorum sacri codicis interpretum sententias  
commemorabo, et deinde, quid ego de isto loco  
sentiam, indicabo.

## §. IV.

Si ullo in loco interpretes ineptias cumularunt Variae sen-  
tentiae in-  
terpretum  
producun-  
tur. ineptiis, hic videtur, quem interpretor. Nam  
fere omnes adeo pueriles de eo protulerunt senten-  
tias, ut nec una probari posse videatur. Quidam  
enim dixerunt, super ore Apostolorum flammulas  
B 3 igneas





igneas in duas partes diuisas apparuisse; alii vero  
*διαμεριζομενας γλωσσας* super solis Apostolorum capiti-  
 bus positas fuisse, et quasi flammulas igneas, splen-  
 duisse; alii denique, super capite et ore simul visas  
 esse. Mirandum sane est, omnes fere commenta-  
 tores hunc locum ita exposuisse, ex quibus modo  
 Glassium, et Rambachium nominabo. Glassius  
 Phil. Sac. l. V. tr. I. c. IX. de ΠΡΟΣΩΠΟΠΟΙΙΑ p. 1645.  
 ait, linguam tribui igni et flammae ob similitudi-  
 nem, tum figurae, esse enim extremam ignis flam-  
 mam, quasi proiectam linguam, tum actionis,  
 quia, vt homo, vel animal, lingua cibum appre-  
 hendat, ac lambat, sic ignis proiectam flammam  
 combustionis materiam. His adjunxit, et expli-  
 cationem nostri loci, dixitque fuisse flammulas,  
 ignis similes, quae tum ex ore labiisque eruperint,  
 tum in capitum verticibus insidere quasi visae sint.  
 Rambachius de flammulis hisce variis in locis men-  
 tionem fecit. Vid. eius Bet. ueber das Leiden I. C.  
 p. 413. Caeteros in hunc locum commentatores si-  
 lentio praeterimus. Quis enim, in rebus criticis  
 paul-





paullulum sapiens, non intelligit, interpretationem hancce absonam, et religionis irrisoribus risui esse?

## §. V.

Per *διαμεριζομενας γλωσσας* intelligi igitur linguas Apostolis distributas, quas antea non intellexerant, et per ignem, qui se per linguas prodidit, eloquentiam, nos arbitramur. Nemo ignorat, *γλωσσα* significari, non solum linguam, hoc est, instrumentum sermonis, sed et ipsum sermonem; quia *γλωσσα* est instrumentum loquelae, seu sermonis, metonymice notat idioma. Vid. Suiceri Th. eccl. p. 766. Per verbum autem *διαμεριζεσθαι*, distribuere notari, videmus ex Act. II. v. 45. *τα κτηματα, και τας υπαρξεις επιπρασνον, και διεμεριζον αυτα πασι.* Hinc non repugnat, si *διαμεριζομενας γλωσσας* interpretemur varias linguas, ipsis per miraculum distributas, vel mirificam habilitatem, peregrino idiomate, vel peregrinarum gentium linguis loquendi, cum illis communicatam.

Sententia  
nova profertur.

## §. VI.



## §. VI.

Duabus  
rationibus  
probat.  
Ratio pri-  
ma.

Peregrinas vero linguas per vim diuinam accepisse Apostolos, quas antea non calluerant, ex multis locis intelligitur. Primo enim ipse Seruator, cum in eo esset, vt super coelos tolleretur, sectatoribus praedixit suis, facultatem peregrinis linguis loquendi esse consecuturos. Marc. XVI. 17. *γλωσσais λαλῶσι καιναις. Γλωσσαι καιναι,* autore Suicero, sunt idiomata, non quidem recens fabricata, et excogitata, sed peregrina, et quae nunquam antea nossent, qui singulari Sp. s. efficacia eorum fiebant periti. Hanc vero vaticinationem non commentitiam, sed veram fuisse, ex eo loco patet, in quo Apostoli aliis linguis locuti esse dicuntur. Act. II. 4. *ηξεαντο λαλειν ετεραις γλωσσαις,* aliis linguis, ab ea, qua Apostoli ante Sp. s. illapsum loquebantur, diuersis.

## §. VII.

Ratio se-  
cunda.

Alteram huius rei rationem cerno in eo, quod tam multi ac peregrini homines, vno ore professi sint, sese audire Apostolos vernaculam ibi linguam loqui.






loqui. Nam eius rei dissipata fama, inquit Lucas, multitudinem conuenisse, et confusam esse, quod eos sua quisque vernacula lingua loquentes audiret, itaque attonitos omnes, miratos esse, et inter se dictitasse: nonne omnes illi, qui loquuntur, Galilaei sunt? Ecquid est, quod nostrum quisque vernaculam sibi linguam natiuamque audiat?

## §. VIII.

Ex his refellitur opinio eorum, qui negant, religionis Christianae autores varias intellexisse linguas. Apostolos enim interpretes secum habuisse, nec cum sacris literis conciliari potest; nec adsunt satis idonea testimonia, per interpretes ab ipsis doctas esse gentes peregrinas. Illorum vero sententia multo minus laudari meretur, qui existimant, Apostolos, lingua sibi vernacula, locutos esse, per miraculum vero omnes auditores eam intellexisse, perinde, ac si quisque sua lingua loquentes audiuisset Apostolos.

Falsae opiniones refelluntur.





cl. Lamii  
dubitatio-  
nes, falsae  
quae inter-  
pretationes  
proponun-  
tur.

Lamius omnium est impudentissimus, qui A-  
postolos maximae ignorantiae et rusticitatis accu-  
savit in libro, quem de Apostolorum eruditione  
scripsit, singulari. Quemadmodum enim illis om-  
nem literarum laudem detraxit: ita et temere affir-  
mauit, eos vnam tantum calluisse linguam. Post-  
quam c. XV. p. 343. demonstrauit, quid eruditionis  
per illapsam Spiritus sancti acceperint, negat  
pag. 351. multa idiomata sciuisse. Quid igitur,  
sunt eius verba, si cum quibusdam doctissimis vi-  
ris adfirmemus linguarum donum Apostolis colla-  
tum, nihil aliud fuisse, quam perpetuum quoddam  
diuinae potentiae miraculum, quo, vt Apostoli  
quacunq; lingua Euangelium, et Christi fidem  
populis praedicarent, a gente qualibet, linguae  
diuersissimae licet, intelligerentur, efficiebat? Id  
euidenter deducitur ex prima Petri, quae ipsa die,  
qua Spiritus sanctus Apostolos illapsus est, habita  
fuit, concione: eam enim habuit una tantum lin-  
gua, Syriaca scilicet, vt videtur, loquendo, et ta-  
men,





men, vt Lucas ait, ab omnibus fere gentibus, quae sub coelo sunt, eius oratio est intellecta et animo comprehensa. Ecce ipsa Lucae verba cap. II. Act. stupebant autem omnes et mirabantur, dicentes: nonne omnes isti, qui loquuntur, Galilaei sunt? et quomodo audimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi et Medi, et Aelamitae, et qui habitant Mesopotamiam, Iudaeam, et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphiliam, Aegyptum, et partes Libyae, quae est circa Cyrenem, et advenae Romanae, Iudaei quoque et Profelyti, Cretes et Arabes, audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Atque eo sensu intelligendum esse illud, quod praecedit; et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, manifestant ea, quae statim sequuntur: erant autem Hierosolymae habitantes Iudaei viri religiosi, ex omni natione, quae sub coelo est. Facta autem hac voce, conuenit multitudo, et



mente confusa est; quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes. In tanta enim multitudine et tumultu populi, quomodo statim Apostoli dignoscere potuerunt, cuias vnusquisque esset, vt cum illo sua dialecto loquerentur?

## §. X.

Obiectio-  
nes Lamii  
diluuntur.

Diluitur haec opinio ab ipso Luca, cum claris verbis dixit: incoepisse loqui post Spiritus scillapsum, aliis linguis. Quam misere vero contorquerentur verba, si ea ita interpretaremur? Apostolos esse locutos, gentes vero peregrinas eorum linguam Syriacam intellexisse. Num credibile est, Lucam tanquam scriptorem historicum rem istam gravissimam adeo obscure et ambigue describere potuisse? Dixit porro satis luculenter, vnumquemque eorum audiuisse propria sibi lingua eos loqui: v. 6. non autem ita: Apostolos vsos esse lingua Syriaca, et audientes populos per miraculum percepisse ea, quae ab ipsis dicta fuerant, quamvis eorum linguam antea non calluissent. Denique Lucas professus est, quod Apostoli



stoli alienis linguis docuerint, et ob hanc rem  
gentes peregrinae obstupuerint, cum nossent, eos  
omnes natione esse Ebraeos. Quis vero non in-  
telligit, cum indole stili historici prorsus non con-  
uenire, si dicantur gentes, per miraculum verba  
Apostolorum Syriaca intellexisse, quae nunquam  
antea locutae essent?

§. XI.

Lamius contra vrsit inprimis concionem pri-  
mam, a Petro lingua Syriaca habitam, et tamen  
ab omnibus fere gentibus eius orationem esse intel-  
lectam et animo comprehensam. Sed vnde nosti,  
doctissime Lami, in illo hominum conuentu Pe-  
trum solum esse locutum, et eum quidem sermo-  
nem habuisse ad populum lingua Syriaca? Nonne  
caeteri etiam de rebus sacris iam antea disseruerant,  
et variis linguis ad admirationem vsque gentes do-  
cuerant, antequam Petrus oratione singulari Ju-  
daeos fratres suos alloqueretur? Nihil igitur ex his  
sequitur, quod Lamii sententiam defendat, nihil-

Argumen-  
tum aliud  
affertur et  
refellitur.

32

34

37

39

30

29

28

27

26

25

24

23

16

8

7



que, quod nos moueat, vt naturalem interpreta-  
tionem, quae longe petita et contortae semper  
praeferri debet, reiiciamus.

## §. XII.

Etiā ex  
verbis G.  
Nazianzeni  
reiicitur.

Istum errorem G. Nazianzenus orat. 44. p.  
716. refutauit, cuius verba haec sunt, quae La-  
mius attulit, sed male ad rem suam accomodauit:  
verum hic paullum confiste, atque ambige, quo-  
modo oratio sit distinguenda: textus enim non-  
nullam habet ambiguitatem, interpunctione diri-  
mendam. Utrum enim dicebant, sua quisque dia-  
lecto, ita, vt verbi gratia vox quidem vna emitte-  
retur, multae autem audirentur, sic videlicet, pul-  
sato ac perstrepenste aere, pluribusque vocibus,  
vt magis perspicue dicam, ex vna voce effectis?  
an potius in hoc verbo, audiebant, punctum sta-  
tuendum est, atque haec verba, loquentes suis lin-  
guis, cum his, quae sequuntur, iungenda sunt,  
vt sic legatur, loquentes linguis, propriis scilicet  
audientium, h. e. externis? qui etiam sensus mi-

hi






hi magis arridet. Nam illo quidem modo, eorum potius, qui audiebant, quam qui verba faciebant, hoc miraculum fuerit. Vid. cl. Heinsium in exercit. sac. ad cap. II. Act. p. 268. ubi docuit G. Nyssenum miraculum hoc in auditoribus, non in doctoribus, sed male, posuisse.

## §. XIII.

Sed pergit Autor istius libri rem suam confirmare. Nec mirabilitas turbam illam adeo perculisset, si singillatim et apte cum quolibet sermone peregrino instructi locuti fuissent Apostoli. Nam suspicari quis potuisset, linguam illam alias eis notam fuisse, et statim saltem non tanto stupore corripere, ut mens eius confunderetur. Sed portentum ingens, quod sensus audientium attonuit, fuit, vnica lingua vtentes, et ad omnes simul loquentes, a turba adeo mista et confusa, et tot diuersarum gentium hominibus constante, et ab vno quoque eorum eodem tempore audiri et intelligi. Ad hanc obiectionem frangendam moneo, auditores certe nouif-

Opinio cl.  
Lamii porro exponitur, et refutatur.





nouisse, Apostolos esse natione Ebraeos, Judaeosque, et vnā adhuc calluisse linguam, et non per miraculum solum linguarum cum ipsis communicatarum, sed per vim veritatis diuinæ ad admirationem raptos fuisse. Ubinam, et quando praeterea, tot diuersarum gentium linguas tam breui temporis spatio discere potuissent, nisi per vim Dei memoriae impressas accepissent? Denique probandum est, quodnam maius sit miraculum? an illud, quo Apostoli facultate linguas tot peregrinorum populorum loquendi, vno tempore, et nulla institutione adhibita, ornati fuerint, aut quo in auditoribus tot diuersarum linguarum effectum est, vt vnā istam linguam Apostolorum Syriacam, ita dictam, intellexerint? Haec posterior opinio videtur prorsus commentitia. Acta Apostolorum maximopere repugnant: ita enim referunt: *ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέρας γλώσσας, καθὼς τὸ πνεῦμα εἶδεν αὐτοῖς ἀποφθεγγεῖσθαι.*

## §. XIV.

Alia ratio  
pro Lamii  
sententia

Alia ratio superest, quam Lamius attulit: quia, inquit, si per Spiritus s. adflatum Apostoli linguarum



rum omnium cognitione et usu instructi fuissent: non tanta graeci sermonis imperitia et stili barbaries, in eorum scriptis deprehenderetur, non tanta etiam compositionis diuersitas, quantum cap. IX. X. obseruauimus. Accedunt etiam ingenuae ipsae Apostolorum confessiones, quibus sermonis se et elegantiae rudes imperitosque declarant, ut illa Paulli, etsi imperitus sermone, sed non scientia. Quid? Quod certo scimus, ob graeci sermonis difficultatem quibusdam Apostolos interpretibus esse vsos, et eorum opera suas epistolas et commentarios exarauisse, id quod late superius cap. XII. executi sumus. Cum iam breuiores esse velimus, haec modo respondebimus: posse aliquem multas peregrinas linguas intelligere; et tamen non tantum linguae graecae peritiam habere, quae cum Xenophontis aut Socratis elegantia et puritate comparari possit. Non aio, Apostolos Xenophontis mel, et lac in scriptis suis propinasse, aut Socratico stilo vsos esse: fatendum tamen est, eorum stilum adeo incomtum, rusticum et barbarum non  

D

fuisse,





fuisse, ut Lamius putauit. Sed hic locus tam amplius, tamque difficilis est, ut ad eum explicandum singulari commentatione opus sit, qua Apostoli a Lamii criminationibus defenderentur.

## §. XV.

Quid sint. <sup>i-</sup>linguae igneae? Quid vero significant linguae igneae, vel quasi ignis in Apostolis visae? Certum est, ab hac voce multas Metaphoras desumi posse, de quibus Glasius Phil. Sacr. I. V. t. I. cap. X. docte differuit. Notamus modo per ignem in sacris litteris Euangelium de Christo inter gentes nuntiatum intelligi. Luc. XII. 44. dixit Christus, se venisse ignem in terram iniectum, hoc est, veritates coelestes multa cum efficacia in animis hominum et diuina quadam eloquentia propositum. Id quod et fecisse dicitur aliis in locis, tanquam Matth. VII. 29. Luc. IV. 32. *εξεπλησσοντο επι τη διδαχη αυτησ' οτι εν εξεστια ην ο λογος αυτησ.* Quanta vero potestate et Apostoli docuerint, ex Act. II. et caeteris capitibus constat. Quomodo autem eorum eloquentia cum igne comparari




parari potest? Quia virtute et efficacia tantum polluit, quantum ignis valet. Nam quemadmodum ignis lucet, illuminat, vrit, accendit, consumit, ita et Apostolorum orationes sua luce radiarunt, hominum caecorum animos illuminarunt, et ad religionem Christianam amplectendam permouerunt, vt hoc modo obtinerent, quare a Deo variis, ac peregrinis linguis loquendi acceperant facultatem.

§. XVI.

Nec obiici potest, *ωφθησαν* ad oculos tantum restringendum et *ωσει πνευος* symbolum quasi, sub quo Spiritus s. apparuerit, interpretandum esse. Jam vero oratoris eloquentiam non oculis cerni, sed auribus audiri, et Spiritum sanctum saepissime sub specie rei corporeae apparuisse. Haec ad minimum mihi obiici posse praeuideo. Cum vero nihil intelligatur, quod non oculis cernitur, et quicquid oculis usurpetur, vt mente intelligatur, necesse sit: optime vocem *ωφθησαν* per intelligi expo-

Obiectio-  
nes tollun-  
tur, quae ab  
aduersariis  
mouentur.





ni posse arbitror; nisi et hoc dici possit, rhetorem non solum mente intelligi, sed et oculis loquentem videri, vocem *ωφθησαν* vero per Enallagen positam esse active, quia hoc verbum caret modo activo, et hanc Enallagen non infrequentem esse in sacro codice: sicut Matth. V. v. 29. Utrumque igitur verum videtur. Quis enim neget, si omnia, quae diximus, invicem comparemus, his verbis hunc inesse sensum: *ωφθησαν αυτοις διαμεριζομενη γλωσσαι, ωσει πυρος*, visae sunt illis distributae linguae, hoc est, apparuerunt illis et Apostolis et reliquis auditoribus, linguae distributae, et cum rhetoribus sacris communicatae, tanquam ignis, vel omnes, qui huic conventui sacro adfuerunt, oculis viderunt, et mente intellexerunt, Apostolis, in quos Spiritus s. illapsus erat, variis loquendi linguis facultatem concessam, et magnam et diuinam, quamvis non artificialem et humanam, eloquentiam esse datam. *Ωσει* est adverbium comparandi, et cum igne coniunctam eloquentiae adiunctam bonitatem et vehementiam vel gravitatem recte deno-





denotare potest, quemadmodum iam antea docuimus

## §. XVII.

Miror sane doctissimum Calmetium Proleg. in i. Pet. ep. statuisse, Apostolos quidem plurium linguarum munere a Sp. s. esse donatos, sed discrete et perfecte omnino dicendi potestatem, ob arcana Dei consilia, non accepisse. Contrariam sententiam doctissime defenderunt Jacobus Saurinus in observ. V. et N. T. p. I. sect. V. §. 108. Rolin dans la maniere d'étudier et d'enseigner T. II. p. 420. sub titulo, de l'éloquence de l'écriture sainte. Glassius in Rhetorica.

Alia Calmetii obiectio notatur.

## §. XVIII.

Annon vero istae linguae igneae, vel flammulae instar ignis, quasi symbolum esse poterunt, quo Spiritus Sanctus ad Christi sectatores venerit, quemadmodum Matth. III. 6. de coelo descendisse quasi columba, vel sub specie colum-

Obiectio





bae commemoratur? Nec opus fuit tali signo, quoniam, subitanea de coelo orta tempestate, et vento flante turbulento, ad Apostolos peruenit, et super vnoquoque eorum sedit, in singulorum animis habitauit, in hoc solemnī actū illis mirabilia dona distribuit, et eorum linguas, ad concionandum nullo modo idoneas, diuina quadam, tamen maxime graui, vehementi, et instar ignis animos hominum afficiente et permouente facundia exornauit.

M O N Ω Θ Ε Ω Δ Ο Ε Α









































the scale towards document

¶ (21) ¶

et. Nam, (quæ verba sunt Casparis Sibelii, super III. cap. Apocalypseos p. m. 319. a in 410 ad. 1636) tota veritatis & doctrina cælestis hauritur, si vel minimam ejus partem corrumpi aut obnoscitur. Ex scintillâ exiguâ maximum sæpè incendium ex lapide evulso, totus facillè perforatur atque dirigitur. Sic uno veritatis articulo adulterato vel nullo negotio falsantur, aut saltem in dubium vocantur minimo mendacio, (ut idem ille l. c. p. 61. b. de veritate Apostolica doctrina inficitur. Quemadmodum si quis, qui aliquam partem de impressâ imagine amul paululum scoria miscuerit, totum numisma reddidit, ita quisquis vel minimam particulam sanæ fidei vel modicum fermenti humani addiderit, totum verbum hoc initio semper ad deteriora procedens. Eo autem uti solet, ut non ipsum caput statim petat: neque totum doctrinæ Christianæ corpus aggreditur: sed ab illius, quæ videntur levioris esse momenti, ut incipit, incipit: quem si semel obrineat, mox longius [6] Denique, quod inter prima referri memoravimus loco, quod non deceat quærendo liberalem esse. Solus Deus autor est veritatis. Jo. XIV. 6. Hanc ergo qui corrumpi & obnoscitur prohibere possit & debeat, tacitus patitur, ut non injurius est. Pateant proinde potius aures vestra monito Siracidæ, dicentis cap. IV. 33. Ad certam pro veritate, & Dominus Deus pugnabit. Theodosius Alexandrinus reprehensus ab amicis, & ipso Theodosio, quod rixis non necessariis Ecclesiam perturbaret, eò quod Nestorio aliisque hæreticis; masculinè innocentiam suam tuitus est, imperat. Theodosium scribens: Pestifera quadam

C 3



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn862445140/phys\\_0043](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn862445140/phys_0043)

DFG